



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm
Capitum secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Et manifestè magnum est Sacramentum &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

I. EPISTOLA AD

si, si non finiunt discordias? Respondeo. Vera iudicia in uera Ecclesia multum prosunt, Quia uult Deus semper extare aliquorum ueram confessionem, iuxta illud dictum Psalmo 149. Laus eius in Ecclesia sanctorum, Et uult horum uoce & testimonijs erudiri presentes & posteros, & multos infirmos confirmari, postea uero Deus suo tempore compescet contradicentes, ut compescuit Synagogam Iudaicam.

Considerandum est etiam quales coetus ad uindicandum conueniant, An tantum Synagoga impia conueniat, ut ad Stephani condemnationem. Si talis coetus est, manifestum est oportere decretis impijs contradici,

Et manifestè magnum est
Sacramentum &c.

IN Græcis codicibus sic legitur, Deus manifestatus est in carne. Cum autem antea Paulus dixisset in Ecclesia ueritatem esse, addit quæ hæc ueritas, scilicet quod Deus manifestatus sit in carne, & iustificatus per Spiritum, quasi dicat, in alijs congregationibus non est ueritas Dei, Nec ibi uerus Deus agnoscitur, Nec uera inuocatio ibi colitur, Sed tantum in hac congregatione quæ nominatur Ecclesia filij Dei, de Deo uera notitia

et ueri Dei inuocatio est, ubi agnoscitur Deus, qui se in carne patefecit, sicut ipse filius dicit Iohannis 14. Qui uidet me uidet et patrem. Item, Nemo uenit ad patrem nisi per filium.

Iam hic tota doctrina complectenda est, quam filius tradidit Ecclesie, iuxta illud Ioan: 1. Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Sciamus igitur sic agnoscendum et inuocandum esse Deum sicut se patefecit per hunc ipsum filium, quem inenarrabili sapientia et bonitate misit, ut assumpta humana natura fieret uictima pro nobis, et esset propiciator, redemptor, et summus Sacerdos, ac restitutor iusticie et uite eterne.

Ita uerus Deus agnoscitur et inuocatur, cum hunc filium uera fide agnoscimus, et uerum Deum, qui se hoc filio misso, crucifixo, et resuscitato patefecit inuocamus, sicut alias sepe diximus, in inuocatione cogitandum esse, quid alloquamur, et discernendum esse uerum Deum ab omnibus commentitijs numinibus.

Inuoco te omnipotens et uere Deus, eterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et dixisti de filio, Hunc audite, conditor cœli et terræ, angelorum et hominum, et conseruator, unâ cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, uerax, iuste, iudex, caste, misericors,

I. EPISTOLA AD

ricors, liberrime, custos Ecclesie tuae, quem inuocauerunt Patres nostri Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, David, Baptista, Paulus, miserere mei, et remitte mihi peccata mea, & iustifica me per et propter Iesum Christum filium tuum unigenitum Dominum nostrum crucifixum pro nobis & resuscitatum, λόγον ἡ εἰκόνα tuum, quem uoluit pro nobis esse uictimam καὶ μεσότηρ ἡ ἰκέτης mirabili et inenarrabili consilio & immensa bonitate, sanctifica cor & animam meam Spiritu sancto tuo, rege & doce me, serua Ecclesiam &c.

In tali forma inuocationis commonefactio est de ueri Dei inuocatione, & de segreganda inuocatione Ecclesie ab Ethnica.

Iustificatus per Spiritum.

Id est, Christus declaratus dato Spiritu sancto, & factis miraculis per Spiritum sanctum, ita declaratus est, ut constet ueracem & iustum esse, & Euangelium non esse fabulosum. Nam Spiritus sanctus & publice testimonia dedit per miracula, Sicut inquit Dominus Ioan: 16. Spiritus me glorificabit. Et priuatim confirmat corda credentium cum erigit ea in media morte, & liberat nos à peccato, & ex doloribus inferorum uera consolatione, quae sentitur in cordibus, & in